



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 34. Ejusdem Myst. punct. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

VOL. Stabiliamus nos in illo modo, *Fortes in Fide* I. Petri, 5. *In spe gloria filiorum Dei*. Rom. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Rom. 6.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXIV.

De Ascensione Christi. Actor. 3.

Myft. punct. 3.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Quomodo apparuerint duo Viri in vestibus albis, & locuti fuerint Discipulis, aspicientibus Christum ascendentem.

PRÆL. II. Intueri montem Oliveti.

PRÆL. III. Petere Fidem, Spem, & Charitatem erga Christum in Cœlos exaltatum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Ecce duo Viri astiterunt juxta illos in vestibus albis*. Act. 1. hos Angelos fuisse credimus.

INTEL. In Discipulis consideremus ingens desiderium sequendi Christum: in Angelis studium illos consolandi; sicut in eodem monte consolati fuerant Christum in agoniâ existentem. REFL. Si nos quoque interius desiderium habuerimus Christo adhærendi, non deerunt officio suo Angeli, quibus Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, Psal, 90.

VOL.

38 VOL. Oremus cum Ecclesiâ, *ut qui Redemptorem nostrum ad Cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in Cælestibus habitemus*; & tunc magnam fiduciam in Angelis concipiamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Angeli *Dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet, &c. Act. 1.*

INTEL. Angeli non Præsentia suâ tantum; Sed etiam salutari voce Discipulos consolantur & dirigunt: inspirando illis memoriam redituri Domini. **REFL.** Sic Angeli nobis sæpe inspirant memoriam venturi Domini tum ad particulare, tum ad universale iudicium.

VOL. Statuamus juxta posteriorem modum eligendi, Angelicæ isti inspirationi aures præbere, & venturi Judicis memores ubique esse.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Convertamus iterum oculos ad Christum, jam cælo receptum & ad Angelos.

INTEL. Christus dixerat: *vos autem baptizamini Spiritu Sancto, non post multos hos dies. Act. 1.* tamen ne paucos quidem dies expectare voluit, ad ostendendum amorem suum per Spiritum Sanctum; sed statim absens per Angelos suos, quasi per legatos voluit sperantibus in se adesse. **REFL.** usque adeò verum est: *Respicite filii nationes hominum, & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2.*

VOL. Magnam hic concipiamus fiduciam in sequendo Christum tam nostri amantem, tam de nobis sollicitum.

COLLOQ. Quibus petamus fiduciam illam, &
reciprocum amorem erga Christum.
RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

SEQUUNTUR

MEDITATIONES

DE

Amore Spirituali.

MEDITATIO XXXV.

*Ad Amorem Spiritualem in nobis exci-
tandum.*

Myst. punct. I.

CONG. Desiderium Deo rependendi reciprocum
amorem.

PRÆL. I. *Ut coram Domino, Angelis; Sanctis-
que omnibus mihi propitiis stare me videam.*

PRÆL. II. *Ut gratiam Dei efflagitem, per quam
beneficiorum ejus, in me collatorum magnitudi-
nem perspiciens, ad amorem, cultum, & servi-
tium ipsius, totum me impendam.*

PUN-